

zan. *Bene quidem*, §. *Præter Romanum*, dist. 96, quam totus mundus sequitur, ut inquit Julius Clarus, cit. § fin., quæst. 41, n. 8. Idque specialiter concedendum est Summo Pontifici, propter plenitudinem suæ potestatis, quam habet non solum in ordine ad causas clericorum, aliasque ecclesiasticas, sed etiam in ordine ad dispensandum de jure supra jus ipsum; ut c. *Proposuit, de Coactione præbend.* Atque hoc ipsum olim factum esse, legitur in can. *Hadrianus*, et can. *In synodo*, dist. 63, et can. *Illud*, 40, q. 3. Qua ratione defenduntur nonnullis privilegia Regis Francorum pro conferendis beneficiis regni sui, et privilegium reipublicæ Venetæ procedendi in aliquibus casibus contra clericos, apud Jacobum Pignatellum, tom. II, *Consulat*, 46, n. 7, si tamen hæc privilegia revera existant, et non revocentur quotannis per bullam *Cæne Domini*, de quo alii.

93. *Non tamen tollere clericorum exemptionem in totum.* — Cæterum, licet Summus Pontifex possit privilegium fori quoad quosdam clericos, et quoad quasdam causas eorum derogare, harum cognitionem laico judici ex rationabili causa delegando: non tamen potest tollere clericorum exemptionem in totum, seu quoad omnes clericos, omnesque causas ipsorum. Farinacius, lib. I, *Criminalium*, quæst. 1, n. 4; Julius Clarus, cit. lib. V, § fin., quæst. 41, n. 8, allegans communem. Nam ex tali derogatione, seu immutatione, decoloraretur universalis status Ecclesiæ, contra quem nequit Papa dispensare, arg. can. *Et si illa*, 1, q. 7, ac tenet Glossa, in *Proposuit*, §. *Dispensare, de Concess. præbend.*, et Abbas, ibid., n. 14, inde concludens, quod Papa non possit sine causa dare potestatem alicui principi sæculari, ut possit judicare inter clericos. Et hoc eo magis est dicendum, quia juxta communem, et probabiliorum canonistarum, exemptio clericorum est de jure divino; prout ex professo dicetur, lib. II, tit. *de Foro competenti*, § 9, n. 201 et seqq.

§ V.

DE OFFICIO ET POTESTATE DELEGATI, SEU PLURIUM DELEGATORUM.

94. *Officium, et potestas judicis differunt; et quomodo?* — Quæritur I. Quæ pertineant ad officium judicis delegati? Ubi prænotandum cum Vallensi, h. t., § 4, n. 1; Zoëtio,

eod. n. 20, et aliis, quod *Officium*, et *Potestas* judicis differant, quia potestas latius patet: omne enim, quod est officii judicis, etiam ejus potestati subjicitur; non tamen e contra, quidquid potestati judicis permittitur, id etiam ejus officio, jurisque necessitati subjectum esse intelligitur, l. *Non quidquid*, ff. *De Judiciis*. Imo sæpe expedit omittere illud, quod quis facere potest: ac proinde potestas, seu jurisdictio judicis latius se extendit, quam ejus officium et obligatio; sicque non immerito rubrica præsentis tituli ad comprehendendum utrumque membrum, inscribitur copulative, *de Officio et potestate judicis delegati*. His prænotatis,

95. *Judex delegatus non debet procedere ante factam sibi præsentationem litterarum delegatarum.* — Resp. I. Ad officium judicis delegati cum primis pertinet, ut is non procedat ante factam sibi præsentationem litterarum delegatarum; haud obstante, quod aliunde sciat se constitutum esse judicem delegatum. Ratio est: quia, licet probabilis sit, quod transferatur jurisdictio quoad habitum in delegatum a tempore datæ, nihilominus quoad exercitium ejus requiritur præsentatio litterarum sibi facta; ac proinde ante harum præsentationem, et receptionem, non potest delegatus exercere jurisdictionem, arg. c. *Super eo*, 12, *de Appellat.*, ibi: « Cum iudices contigerit litteras recepisse » ac notat Barbosa, ibid., n. 4; Felinus, in c. *Suscitatus*, n. 42, *de Rescript.*; Nicol. Garcias, *de Benefic.*, part. V, cap. 1, n. 349, et part. VI, cap. II, n. 8, citans Rotam, decis. 43, *de Præbend. in novis*, et alios.

96. *An validetur processus antea factus, si postea superveniant illæ litteræ?* — Et hoc adeo verum est, ut licet postea superveniant litteræ delegataræ, non validetur processus antea factus: censetur enim factus a non habente exercitium jurisdictionis. Intellige, dummodo pars adversa opponat, seu excipiat, de litteris illis non præsentatis: secus, si non excipiat, sicque tacendo consentiat; quia tunc valebit processus. Maranta, part. IV, *Speculi*, dist. 46, n. 8, citans Angelum, in l. *Cum furiosus*, ff. *de Judic.*, et Baldum, l. *Nec quidquam*, § *Ubi decretum*, ff. *de Offic. proconsul.*; Vallensis, h. t., § 4, n. 2.

97. *Delegatus præsertim Papæ debet coram ordinario litteras suæ delegationis præsentare.* — Resp. II. Insuper ad delegatum, præsertim Papæ, ejusque officium pertinet, ut antequam jurisdictionem exerceat, litteras suæ

delegationis coram ordinario repræsentet, earumque copiam faciat partibus coram se litigaturis, seu comparituris. Ita Fagnanus, c. *Cum in jure*, num. 7, ac seqq., h. t., et alii. Ratio est: quia non creditur quis delegatus, nisi delegationem probet, d. c. *Cum in jure*, 31, h. t. Nam delegatio est quid facti; facta autem regulariter non præsumuntur, arg. l. *Asseveratio*, C. *De non numerat. pecun.*, cum concordantiis. Simulque probatio asserentis se esse delegatum a principe, ut puta Papa, aliter fieri non potest, nisi per ostensas litteras suæ delegationis, L. un. C. *de Mandatis princip.*, et Extravag., *Injunctæ*, § *Sane de Elect.*, ibi: « Asserentis namque cum mandatis principis se venisse credendum non est, nisi hoc scriptis probaverit: nec similiter creditur asserenti se legatum, » etc. Speculator, tit. *De Probatione*, ult., numer. 1, vers. *Sed numquid delegatus*, citans alios.

98. *Potestque ordinarius eas ex officio petere; et alioquin delegato impune resistere.* — Quinimo ordinarius loci potest ex officio suo petere, ut sibi exhibeatur rescriptum delegationis, etiam parte non petente. Innocentius in cit. c. *Cum in jure*, num. 1, h. t. Simulque delegato, volenti jurisdictionem exercere non ostensis litteris delegationis, potest ordinarius de facto, et quasi vim vi repellendo, impune resistere: nam ordinarius intra suum territorium est in possessione suæ jurisdictionis; adeoque hanc defendere potest, donec delegatus exhibitis litteris suam delegationem probaverit, arg. l. *Prohibitum*, C. *de Jure fisci*, lib. X, et Auth. *de Collatorib.* § *Eos autem*, collat. 9. Insuper gesta per delegatum non ostensis litteris suæ commissionis sunt nulla, vel ipso jure, vel saltem ope exceptionis; prout amplius ostendit Fagnanus cit. c. *Cum in jure*, n. 29, 31 et 32, post Innocentium, et alios.

99. *Delegatio an solum probari possit per litteras? Eadem vim obtinet depositio testium, ac fides instrumentorum.* — Additur notanter n. 79: « Ad delegatum, præsertim Papæ. » Quia licet delegatio Papæ, ac Imperatoris, aliter probari non possit, nisi per scripturam, ut dictum; nihilominus delegatus inferioris delegationem suam sufficienter probat per testes. Siquidem, cum de hoc aliud in jure statutum non reperitur, respectu ipsius locum habet dispositio juris communis, in c. *Cum Joannes*, § *Porro de fide instrument.* et l. *In exercendis*. C. eod. ubi eandem vim

probandi obtinent depositiones testium, quam fides instrumentorum. Speculator tit. *De probationibus*, § ult. n. 4; Fagnanus, cit. c. *Cum in jure*, n. 33 h. t. post Rotam, decis. 307, alias. 5. *Si episcopus*, n. 3. *de Offic. vicarii, in novis*, et alios.

100. *Delegatus formam mandati diligenter observare debet.* — Resp. III. Ulterius ad officium delegati pertinet lines mandati, seu formam rescripti delegationis diligenter observare, ac juxta ipsam procedere. Nam qui excessit, aliud quid facere videtur, l. *Diligenter*, ff. *Mandati*, sicque actus est nullus, si forma mandati quoad aliquod substantiale non observetur; ut c. *Cum dilecta*, 22, *de Rescriptis*, estque uberius dictum supra tit. *de Rescriptis*, § 6, n. 144 et seqq.

101. *Atque probationes necessarias, legitimasque defensiones admittere, etc.* — Resp. IV. Rursus ad officium delegati spectat, probationes necessarias, legitimasque defensiones, ut puta rationabiles exceptiones, vel appellationem rite factam admittere, atque in causa juxta juris præscriptum servata æquitate procedere; nisi in litteris delegationis aliud quid exprimat. Patet hoc ex c. *Omnes et seqq.* 2, q. 6, et c. *Causam quæ*, 18, *de Rescript.* et c. *Ex parte*, 43, h. t. et Clem. *Sæpe contingit, de Verb. signif.* cum similibus.

102. *Et, si est delegatus Papæ, sententiam suam exequi.* — Resp. V. Tandem ad officium delegati Apostolici spectat, ut sententiam a se latam executioni mandet. c. *Significasti*, h. t. cum concordantiis illico afferendis. Occasione cujus

103. *Delegatus Papæ potest sententiam exequi, vel per se, vel per alium, et usque ad annum.* — Quæritur II. Qua ratione delegatus Papæ possit suam sententiam exequi, vel alteri ejus executionem committere? Resp. I. Delegatus Papæ potest sententiam a se latam exequi, vel per se ipsum, vel per alium; ut c. *In litteris*, 9, eod. Atque usque ad integrum annum potest exercere jurisdictionem suam in ordine ad exequendam sententiam; ita ut interim parere volentes possit absolvere, et contradictores censuris etiam ecclesiasticis compescere, c. *Quærenti*, 26, juncta Glossa §. *Ad integrum annum*, h. t. Non item post elapsam annum continuum: quia tunc jam expiravit ejus jurisdictionis, sicque recurrendum est ad delegantem. Abbas in cit. c. *Quærenti*, n. 3 et 7.

104. *Judex ordinarius tenetur sententiam*

delegati Apostolici ad ejus mandatum exequi, potestque ab eo ad hoc compelli. — Resp. II. Quando delegatus Papæ judici ordinario committit executionem suæ sententiæ, iste mandato ipsius obedire, atque sententiam latam exequi tenetur: alias poterit compelli a delegato, utpote qui major est illo quantum ad causam sibi a Papa commissam, c. *Sane quia*, 11, h. t. Et alioquin ejus jurisdictionis videretur nullius esse momenti, si non posset compellere renitentem, c. *Pastoralis*, § 1, h. t., et notat Glossa, in d. c. *Significasti*. §. *Non vult.*, et Abbas, ibid., n. 4, ac seqq. h. t.

105. *Etiam si sententiam delegati sciat esse injustam.* — Atque hoc etiam procedit, licet ordinarius sciat sententiam delegati esse injustam: adhuc enim ejusmodi sententiam exequi tenetur (nisi forsan apud eundem delegatum efficere possit, ut ab hoc onere liberetur), quia est merus executor, dum non cognitio, sed executio tantum eidem demandatur; prout expressum habetur in cit. c. *Pastoralis*, 28, § *Quia vero*, h. t. et amplius declarat Glossa magna ibidem.

106. *Quando hæc est injusta solum, quatenus est contra jus litigantis.* — Hoc tamen intellige de sententia injusta solum, quatenus est lata contra jus litigantis, a qua iste non appellavit intra legitimum tempus, sicque transit in rem judicatam: talis enim sententia est valida, et quamvis sit injusta, hoc est, lata contra jus condemnati; tamen, ex quo iste non appellavit intra decennium, sicque sententia transit in rem judicatam, de rigore juris (nisi forsan ordinarius ab hoc onere liberari obtinuerit, ut dictum) et ut aliquis sit finis litium, ea est executioni mandanda Glossa magna, et doctores in cit., § *Quia vero*.

107. *Neque eam exequendo peccat, aut injuriam infert parti; et cur?* — Neque idcirco executor illius sententiæ peccat, aut cooperatur peccato judicis delegati male judicantis, neque etiam injuriam infert injuste condemnato; tum quia ipse exequitur dumtaxat illud, quod de rigore juris est introductum, ne alioquin merus executor, ut est iste, passim sententiam latam temere discutere, et calumniari valeat; tum quia condemnatus vel sibi imputet, quod a sententia illa injusta non appellavit: vel habeat regressum contra judicem delegatum male judicantem, ac eum injuste condemnantem, ut damnum illatum sibi resarciat, § 1, instit. *de Obligat*, quæ ex

quasi delicto. Glossa magna in d. § *Quia vero*, in fin. et ibi Abbas, n. 4, et alii.

108. *Secus, quando ordinarius scit, sententiam esse invalidam, et nullam.* — Quod si vero executor certo sciat, sententiam non solum esse injustam, quatenus est contra jus condemnati, sed etiam esse nullam, ac invalidam: ut quia lata est per falsa instrumenta, sicque delegatus non habuit jurisdictionem; vel quia lata est nullo juris ordine servato, vel contra apertas leges, seu canones, sicque ipso jure non tenet, cap. 1, *de Sentent. et re judicat.*, tunc ipsam non debet executioni mandare. Ratio est: quia delegatus hoc præcipiens non agit ut iudex, arg. c. *Forus*, 10, *de Verb. signif.*, et tradit Abbas in cit., § *Quia vero*, n. 4, et Layman, ibid., allegans communem: unde, quia præcipit absque jurisdictione, eidem non oportet obedire. Debet proinde in tali casu executor deputatus negotium ad superiorem referre, c. *De cetero*, 5, juncta Glossa, in fin. et cap. 11, *de Crimin. falsi*; Pirhing, h. t., n. 94, citans alios.

109. *Quid, si delegatus Papæ jubeat clericum in possessionem beneficii induci, quem ordinarius scit non fuisse canonice institutum?* — Simile quid accidit in casu, quo delegatus Papæ mandat clericum in possessionem beneficii induci, quem tamen ordinarius, puta, episcopus, certo novit non fuisse in eo canonice institutum. Quamvis enim tunc iudex ordinarius, seu dictus episcopus, non debeat iudicis delegati mandato resistere violenter (hic enim quoad talem causam est superior episcopo, sit c. *Sane quia*, 11, h. t.) adhuc tamen potest et debet apud ipsum instare, ut differat ejusmodi clericum in possessionem mittere, donec Papæ rei veritas rite deferatur, atque innotescat. Textus est in c. *Si quando*, 8, h. t.

110. *An delegatus inferioris possit sententiam suam exequi, et quidem usque ad annum.* — Dicitur notanter, n. 103. *Delegatus Papæ*; nam quod delegatus inferioris ad causam particularem, non possit exequi suam sententiam, sed executionem hujus debeat deleganti remittere, arg. 1. *A divo Pio*, § 1, ff. *de Re judicat.*, tenent multi, ac spectato jure civili est communis, juxta dicta superius, § 2, n. 43, quo stante præsens conclusio non habet locum in delegato inferioris a principe. Si tamen teneatur sententia Abbatis, et quorundam aliorum, ibidem, n. 49, relata, juxta quam spectato jure canonico etiam delegatus inferioris, ut puta

episcopi, potest sententiam suam exequi: tunc videtur dicendum, quod etiam talis delegatus usque ad integrum annum possit exequi sententiam suam, ac proinde interim parere volentes possit absolvere, et resistentes censuris ecclesiasticis coercere, arg. cit. c. *Quærenti*, et notat Abbas, ibid., n. 8, h. t. et c. *Significasti*, eod.

111. *Potest eadem causa pluribus simul delegari.* — Quæritur III. An pluribus iudicibus eadem causa simul delegari possit, et quis eorum tunc censeatur dignior? Resp. I. Non tantum unus, sed etiam plures iudices ad eandem causam cognoscendam delegari possunt. Ita certa, et communis omnium; cujus exempla passim habentur in jure, ut c. *Causam*, 16 et c. *Prudentiam*, 21 et c. *Cum causa*, 22 et c. *Cum super*, 23, h. t., ac alibi sæpe.

112. *Proponitur, ac solvitur instantia.* — Nec dicas: Jurisdictio est indivisibilis, cum sit quid incorporale; atqui amplius probat Glossa in d. c. *Prudentiam*. §. *Teneatur*, h. t.: ergo ea non potest competere pluribus: neque partialiter, cum sit indivisibilis; neque in solidum, « quia duo insimul eandem rem, et eodem modo, in solidum possidere non possunt, » c. *Licet*, 9, *de Probat. cum concordantiis*. Resp. enim distinguendo anteced. Jurisdictio est indivisibilis in se, conceditur: etiam in ordine ad exercitium, negatur anteced. et consequent.

113. *Jurisdictio, licet sit indivisibilis in se, est tamen divisibilis quoad exercitium.* — Itaque licet jurisdictio veluti spiritualis, in se dividi non possit, potest tamen dividi in ordine ad exercitium; idque præcipue dupliciter. Primo, quatenus potest competere pluribus, ita ut penes singulos sit tota, sed non totaliter, eo quod neuter eorum solus ipsam exercere valeat: in quo casu, si unus procedat sine altero, processus ipso jure est nullus, ut amplius dicitur, n. 116. Secundo potest dividi jurisdictio in ordine ad exercitium per accidens, nempe quoad diversa loca, vel tempora: ut si unus in uno loco, alter in alio, unus hoc v. g. mense, alter alio exerceat jurisdictionem.

114. *Quid, si pluribus delegatis detur jurisdictio in solidum?* — Nec urget allata instantia ex c. *Licet*, *de Probat.*, desumpta. Nam (præterquam, quod loquatur præcipue de rebus corporalibus, utpote quæ proprie dicuntur possideri), in casibus præmissis nemo possidet jurisdictionem in solidum, ut patet.

Et quamvis interdum pluribus delegatis, vel etiam ordinariis iudicibus competat jurisdictionis in solidum, exinde solum sequitur, quod vel simul, vel seorsim judicare, seu procedere possint: et si seorsim processerint, datur locus præventioni, atque uno præoccupante, causamque inchoante, alter non amplius possit se immiscere in causa illa, nisi ille, qui cœperat, ex infirmitate, vel alia justa causa impeditus fuerit, aut saltem nollet, vel malitiose in ea procedere recusaret. Textus est in c. *Cum plures*, 8, *de Offic. delegat.*, in 6.

115. *Ex pluribus delegatis ille præsumitur cæteris dignior, qui prior in rescripto nominatur.* — Resp. II. Si eadem causa pluribus delegatur, ille præsumitur cæteris dignior, qui prior in rescripto delegatorum nominatur. Ita Glossa, can. *Bene quidem*. §. *Mediolanensis*, dist. 96; Felinus, in c. *Cum dilecta*, n. 5, et Layman, ibid., n. 4, *de Rescript.*, et alii. Ratio est: quia in rescriptis ordo verborum diligenter debet attendi; nam primo loco posita, videntur studiosius præmissa. Abbas in cit. c. *Cum dilecta*, n. 4. Ac proinde ex ordine verborum est argumentandum, arg. can. *Inter verba*, 11, q. 3, juncta Glossa, ibid. §. *Premisit*. Concordant dicta superius in processio, § 6, n. 109 et seqq.

116. *Si pluribus eadem causa simpliciter delegetur, nequit unus sine alio procedere.* — Quæritur IV. Quomodo plures delegati super eadem causa debeant procedere? Resp. I. Si eadem causa pluribus simpliciter delegetur, nequit unus sine alio procedere. Ita communis; et patet ex c. *Causam*, 16, h. t., ibi: « Quia cum causa duobus committitur, sententia unius non valet. » Concordat jus civile in l. *Duo ex tribus*. ff. *de Re judicat.*, ibi: « Duo ex tribus iudicibus uno absente judicare non possunt: quippe omnes iudices judicare jussi sunt. » Ubi Glossa. §. *Absente*, hoc extendit ad casum, quo tertius est mortuus: idemque patet ex textu claro, cap. penult., h. t.

117. *Idque magis declaratur, simulque limitatur.* — Et hoc adeo verum est, ut etiam, quando ex tribus delegatis duo tantum citantur, citatus venire non cogatur: quia, cum illi nihil facere possint sine tertio, hoc ipso non valet citatio, sicque citatus venire non tenetur. Glossa in c. *Prudentiam*. §. *Teneatur*, h. t. Quod si vero citatus venerit, et duo sine tertio in causa procedant, ferantque sententiam, hæc ipso jure erit nulla per

textus jam relatos : quia nimirum processerunt contra formam mandati. Intellige, nisi ille tertius aliis duobus conjudicibus vices suas committeret, seu subdelegaret; prout per delegatos Papæ fieri posse, causa etiam simpliciter pluribus commissa, constat ex c. *Quamvis*, 6 et c. *Cum causa*, 22, h. t. Nisi forte causa fuerit adeo gravis, ut sine præsentia illius tertii non possit commode terminari; prout in c. *Si pro debilitate*, 3 eod. imitatur.

118. *Idque magis declaratur, simulque limitatur.*—Et hactenus dicta procedunt, quando eadem causa delegatur pluribus simpliciter. Quod additur imprimis ad excludendam delegationem ad universitatem causarum : nam delegati ad universitatem causarum potius censentur habere jurisdictionem mandatam, quam delegatam; atque æquiparantur ordinariis, ut dictum supra, n. 14 et seqq. et n. 63, sicque de ipsis idem dicendum, quod de ordinariis, quorum quilibet a principio potest per se incipere, daturque locus præventioni. Glossa in l. *Pomponius* (alias, l. *Si xxi.*) et Bartolus, ibid., § *Venio ad quest. ff. de Re judicat.*; Maranta, part. IV. *Speculi aurei*, dist. 3, n. 31. Deinde idipsum additur ad excludendam questionem de pluribus delegatis non simpliciter, sed cum certa apposita clausula : atque de his nunc loquendo,

119. *Quid juris, quando causa pluribus delegatur cum clausula.* Quod si omnes interesse nequeant, duo eam cognoscant? — Resp. II. Si causa tribus commissa, seu delegata fuerit cum clausula, « Quod si omnes interesse nequeant, duo eam cognoscant, et exequantur : » tunc duo illi procedere non possunt, nisi illis per certum nuntium, aut alias legitime constiterit, quod tertius adesse non possit, vel saltem, cum possit, interesse nolit : alioquin, si procedant, acta erunt irrita, cum fines mandati excedere, et contra formam rescripti judicare dignoscantur. Ita habetur decisum in c. *Prudentiam*, 21, § 1, h. t. Et quæ nunc dicta sunt de tribus delegatis, eadem (servata tamen proportione) sunt intelligenda de duobus delegatis, cit. c. *Prudentiam*, § *Idem quoque*, h. t. Concordat c. *Sciscitatus*, 13, de *Rescript.*

120. *Præsertim si tunc unus, cum possit, interesse nolit?* — Additur notanter, « vel saltem, cum possit, interesse nolit. » Nam, si aliquis ex ipsis, cum possit, interesse noluerit, duo alii de hoc legitime informati, jam poterunt in causa procedere, licet ille tertius,

atque mandatis Apostolicis inobediens delegatus, gravissime sit redarguendus. Ita habetur expressum cit. c. *Prudentiam*, § *Adjicimus*. Et merito : quia licet, « nolle interesse, » non importet aliquam impotentiam ex parte nolentis (unde etiam hic redarguendus dicitur), tamen hinc oritur impotentia ex parte conjudicum delegatorum, ut una cum nolente non possint in causa procedere : unde quia stante unius inobedientia, seu nolitione interessendi, verum est dicere, quod omnes tres simul interesse nequeant; hinc tali impotentia rite cognita, merito alii duo in causa procedere permittuntur.

121. *Concordantur c. Sciscitatus, § fin. de Rescript, et c. Prudentiam de Offic. delegat.* — Nec obstat c. *Sciscitatus*, 13, § fin. de *Rescript.* ubi videtur oppositum decidi, illis verbis. « Nec enim ille, qui tantummodo non vult interesse, hac impossibilitatis interpretatione valet aliquatenus excusari : nisi forte in rescripto sic habeatur expressum : Si non omnes interfuerint, vel simul nequiverint aut noluerint interesse. » Resp. enim cum Abbate in cit. c. *Sciscitatus*, n. 16, et aliis, istud non obstare, sed utrumque capitulum mutuo sese declarare : nam in allegato c. *Sciscitatus*, solum dicitur, eum, qui sine legitimo impedimento interesse non vult, non excusari, quin ob suam inobedientiam puniri possit, nisi habeatur apposita clausula, « Vel interesse noluerit. » Hæc enim, cum sit clausula voluntatis, absque ulla alia causa interesse nolentem excusat a pena. Porro cit. c. *Prudentiam*, h. t. prædictis nullatenus præjudicat, quinimo in cit. § *Adjicimus*, clarissime subjungitur, quod ille, qui cessante justo impedimento interesse non vult, gravissime sit redarguendus, imo et puniendus pro eo, quod mandatum Apostolicum exequi subterfugiat, aut contemnat; sicque ultro fatetur talem ex sua inobedientia neutiquam excusari : addit tamen, quod uno delegatorum interesse nolente, alii nihilominus in causæ cognitione procedant. Ac per hoc melius declaratur d. c. *Sciscitatus, de Rescript.* non vero corrigitur, prout perpetram voluit Glossa, ibid. § *Excusari*.

122. — *Solvitur alia instantia.* — Instabis. Juxta dicta in conclusione, si ex tribus delegatis cum clausula, « Quod si omnes interesse nequeant, duo eam cognoscant, » etc., unus non possit, aut saltem nolit interesse, tunc possunt alii duo procedere : atqui illud semper fit; nam hoc ipso, quod tertius non

intersit, aut non potest, aut saltem non vult interesse; ergo alii duo semper possunt procedere, etiam non habito alio certo nuntio quoad hoc. Resp. negando majorem sic absolute prolata : quia ad hoc, ut possint duo sine tertio procedere, juxta cit. c. *Prudentiam*, § 1, h. t. ulterius requiritur, quod de altero eorum constet per litteras, vel certum nuntium, aut alias canonice; ut amplius Glossa ibid. § *Canonice*, et § *Procedant*, observat. Neque ex proxime data conclusione aliud habetur, prout liquet ex verbis ipsius.

123. *Delegatus, cum possit, interesse nolens, a quo sit redarguendus?* — Porro redargutio illa, atque punitio interesse nolentis, de qua n. 120 et 121, in fine, fieri non debet a conjudicibus delegatis; quia par in parem non habet imperium : sed vel a delegante, ad quem ea causa pertinet, cuique conjudices debent denuntiare negligentiam alterius, ut vult Glossa fin. in cit. § *Adjicimus* : vel a suo immediato superiore ordinario. Non quod iste talem Papæ delegatum possit compellere ad exequendum : hoc enim non spectat ad officium ordinarii, imo delegatus major est illo quoad causam delegatam, c. *Sane quia*, 11, h. t. Sed potest eum redarguere, atque punire ut delinquentem, seu quia contempsit exequi legitimum sui superioris mandatum, adeoque propter delictum præcise : sic enim cessat dicta majoritas, ex quo culpabiliter non acceptavit, aut exequi non curavit delegationem Apostolicam. Abbas in d. c. *Prudentiam*, § *Adjicimus*, n. 6, h. t.

124. *Quid, si plures delegentur cum clausula.* Ut omnes, aut duo, aut unus, aut unus eorum mandatum exequatur? — Resp. III. Quod si plures sint delegati sub hac forma « Ut omnes, aut duo, aut unus eorum mandatum exequatur, » seu alia consimili (ut si dicatur, quod quilibet eorum in solidum, et per se judicare possit; aut, quod alter alterum non expectet, vel non requirat), tunc singuli censentur habere jurisdictionem in solidum : atque ideo singuli eorum seorsim hanc libere exercere possunt, cæteris minime requisitis : daturque inter eos locus præventioni, adeo ut uno ipsorum negotium inchoante, cæteri non possint ulterius eidem sese intromittere; nisi vel infirmate, vel alia justa causa illum priorem contingeret impediri, aut nisi is nollet, vel malitiose in eodem negotio procedere recusaret.

Ita habetur expressum in c. *Cum plures*, 8, h. t. in 6, juncta Glossa, et doctores ibidem.

§ VI.

DE CESSATIONE OFFICII JUDICIS DELEGATI.

125. *Quibus modis generatim cesset officium judicis delegati?* — Quæritur I. Quibus modis generatim cesset officium, et potestas judicis delegati? Resp. Id accidit potissimum sequentibus modis. I. Morte delegati. II. Morte delegantis re integra. III. Pronuntiatione delegati, quod jurisdictio in causa si non competat. IV. Revocatione delegationis. V. Lapsu temporis præfixi. VI. Finito negotio, seu quando delegatus officio suo functus est. VII. Recusatione. Et hi sunt præcipui modi, quibus cessat, atque finitur officium delegati; quamvis possint nonnulli alii assignari, qui tamen levioris sunt considerationis. Verum, quia enumerati septem modi majori, ac speciali indigent elucidatione, hinc de singulis seorsim loquendo,

126. *Morte delegati finitur ejus officium et jurisdictio, nec transit ad hæredes, vel successorem, si delegatio fuit personalis.* — Quæritur II. An, et quando morte delegati, vel delegantis, expiret illius officium, ipsaque delegatio? Resp. I. Morte delegati finitur ejus officium, atque jurisdictio : ut l. *Si quis alicui*, § *Morte*, ff. *Mandati*. Nam mors omnia tollit. Unde delegati officium, atque jurisdictio, non transit ad hæredes, l. *Mandatum*, 57, ff. eod. Neque ad successorem, si delegatio fuit personalis, seu expresso nomine proprio delegati facta; ut puta dicendo : « Tibi Sempronio delegamus hanc causam : » quia tunc sequitur personam, et veluti accessorium extinguitur cum persona, c. *Accessorium*, et, c. *Privilegium personale de Reg. juris*, in 6, et l. *In omnibus*, ff. eod. cum similibus.

127. *Secus, quando delegatio facta est dignitati.* — Additur notanter, « si delegatio fuit personalis. » Nam secus est dicendum in delegatione reali : qualis censetur illa, quæ fit contemplatione dignitatis, et non personæ; sive, quando delegatio facta est dignitati, seu sub nomine dignitatis, non expresso nomine personæ, v. g. *episcopo, officiali Frisingensi*. Nam talis delegatio non extinguitur morte prælati tunc existentis, sed transit ad successorem in eadem dignitate, etiamsi res sit adhuc integra. Textus est in c. *Quoniam*, 14, h. t. ubi Glossa § *Substitutus*.